



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 3. Fur innocentem furti accusans bis suspenditur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

redeuntem, illum ipsum, à quo vibrabatur, interemisse.

§. III.

Fur innocentem furti accusans bis suspenditur.

Sicut autem isti ad gladium suum iure damnantur, ita alij ad laqueum; ut iustitia summi Iudicis etiam de illis triumphet, qui in aëre sublimes conspiciuntur. Brevis est, sed ob inauditam malitiam incredibilis historia, nisi ab scriptore tam fide digno memoraretur. Coloniae S. Andreae Canonicus servum equo expeditum miserat ad decimas colligendas. Via illum ducebat haud procul à patibulo, in quo recens suspensum, dilapsis iam ceteris omnibus, animadvertens adhuc moveri, aliquid in eo vitae superesse, ex palpitatione, coniecit; tactusque miseratione, laqueum gladio incidit; restim laxavit, allataque in pileo ex proximo amne aqua hominem refocillavit. Qua refrigeratione recreatus, ad mentem, immò ad amentiam redijt suspendiosus. Adeò enim pertinax est furandi consuetudo, ut ne resti quidem ipsa se sinat tolli. Itaque resumptis viribus, desperatissimæ audaciæ fur, liberatorem suum ad proximam villam secutus est: ibi maleficium pro beneficio

repe-

Caesarius.
lib. 6. Il-
lustr. Mi-
rac. c. 246

reponens, manum iniecit in equi eius frenum, atq; elata voce clamare cœpit; eum equum suum esse, fessorem iniustum vi sibi illum abstulisse. Vociferatio homines acciuit; qui vndique accurrentes ex agris, & abigeo indignantes, nec audito quidem aut ad excusationem admissio necem decreuerunt; factoque agmine, rapuerunt ad furcam; & ad illam ipsam furcam de qua furem eques innocens paulo prius deposuerat. Erat enim illa vtrique loco communis. Nouum mortalium globum cum ad patibulum confluere vidissent viciniore illi, qui furem laqueo addixerant, accurrerunt & ipsi, interrogaturi, quid rerum gereretur. Ad patibulum vbi ventum est, viderunt abesse suspensum, & adesse alium suspendendum; cui datâ pro se loquendi copiâ, auditaque rei gestæ tota serie, vultumq; audacissimi furis haud parum licet sanguine suffuso denigrati agnoscentes, innocentem absoluerunt, calumniatorem autem patibulo suo reddiderunt. Qui proinde, iuxta prouerbium, suo ipsius laqueo captus, in ea ipsa cruce, quam alteri parauerat, bis pependit, quia sæpius meruit.